

Band IX., Nr. 3419, Seite 8-9

Prior Konrad und Konvent von Reichenbach übertragen dem Ritter Diether Kint die Vogtei ihres Hofes in Obrigheim.

Reichenbach, 1285. Februar 1.

Nos Cûnradus divina permissione prior et conventus monasterii in Richenbach omnibus presens scriptum intuentibus salutem et eorum notitiam, que secuntur. Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, ad quos littere presentes pervenerint, quod, cum nos Dietherum militem dictum Kint in causam traxerimus eo, quod nos super bonis nostris sitis in Obernkain occasione iuris advocatie exactionibus indebitis molestaret, nos ad parcendum laboribus et expensis in lite faciendis cum eodem milite per arbitrium concordantes sibi dictum ius advocatie et omnibus filiis suis legitimis subscriptis condicionibus interpositis duximus concedendum seu admittendum, quod idem miles de curia nostra sita in Obernkain cum attinentiis eiusdem annis singulis in festo Martini sex solidos Hallensium percipere tenetur. Si autem ipsam curiam propriis laboribus excoluerimus, dicto militi persolvere tenemur de villa in Mõrtistal de dimidio mansu duo quartalia siliginis [et duo] avene, de integro quatuor quartalia siliginis et quatuor avene, tot pullos quot sunt bona tempore messis, et de hominibus monasterio in Richenbach attinentibus prefatus miles quinque libras Hallensium in festo Michahelis percipiet annuatim. In iudicio super privatis bonis nos vel nuntius noster quem transmiserimus presidere debet et si quid inde contumaciarum vel aliorum iurium quocunque modo emergentium nobis cedere contigerit, memoratus miles tertiam partem obtinebit. Cum autem omnia bona in se divisa desolentur, prefatos redditus seu proventus ut pretactum est specificatos filii rnilitis sepedicti ipso decedente retinebunt indivisim et unus eorum senio[r] a nobis recipere tenetur. Debet etiam miles prehabitus nobis de molendino sito apud Mortistal et aqua novem solidos Hallensium persolvere annuatim. Si autem, quod absit, ipse miles supradictus vel aliquis filiorum suorum in premissis excesserit plus quam scriptum est super bonis prenotatis presumens extorquere, bona prescripta nobis in omnibus erunt libera et soluta. Debet etiam ipse miles pretactus nos super dictis bonis in omnibus pro posse suo defendere ac [tueri]. Pretacta autem precaria¹ de hominibus monasterii predicti, videlicet quinque libre Hallensium, debet supradicto militi per procuratorem monasterii in Richenbach presentari. Testes qui intererant sunt: Hermannus

¹Verschrieben *preconia*.

II

villicus, frater suus dictus Art, Ber. filius fratris sui, Rogerus cellerarius Ludwici, Walt. in Mortistal, Hainzelmannus ibidem, C. dictus Grosshobet et alii quam plures fide digni. Ut autem premissa omnia firma permaneant et illibata, nos Cūnradus [prior] supradictus nomine nostri nostrique conventus, cum sigillo proprio careat, sigillum nostrum, nos Ludwicus comes palatinus de Tüwingen, ego Dietherus miles prenominatus, ego decanus Wimpinensis ecclesie et nos universitas ville Wimpine in evidentiam premissorum ac testimonium indubitatum sigilla nostra duximus presentibus appendenda.

Datum et actum in Richenbach, anno domini MCCLXXXV., in vigilia purificationis beate virginis, indictione XIII.

—

Fehlerhafte Abschrift im Kopialbuch des Klosters Reichenbach von 1426, fol. 52 a.

Überlieferung und Publikationen

Überlieferung und Textkritik:

War im 1944 durch Fliegerangriff verbrannten Diplomatar HStA Stuttgart H 14 Nr. 203, S. 52a (Fehlerhafte Abschrift).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Reichenbach

Ortsindex:

Klosterreichenbach Wohnplatz (7315)

Klosterreichenbach, Baiersbronn, FDS

Mörtelstein Wohnplatz (6145)

Mörtelstein, Obrigheim, MOS

Obrigheim Wohnplatz (6147)

Obrigheim, MOS

Tübingen Wohnplatz (16214)

Tübingen, TÜ

Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852)

Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN